178
Lane Medical Library

DE

SPINA BIFIDA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE IV. M. AUGUSTI A. MDCCCXX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ANT. FRANC. ALB. FOERSTER

LANDECCENSIS - SILESIUS.

OPPONENTIBUS

ERNESTO GURLT, MED. DR.

DAVIDE HEILBORN, MED. DD.

CAROLO SCHNEIDER, MED. DD.

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

PATRI

CARISSIMO DILECTISSIMO

ANT. G. FOERSTER

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, POTENTISSIMI BORUSSORUM REGI A CONSILIIS AULICIS, THERMARUM LANDECCENSIUM MEDICO

SPECIMEN HOCCE ACADEMICUM

SUMMA QUA PAR EST PIETATE

D. D. D.

AUCTOR.

Praefatio.

Medullae spinalis morbi, sicut funestissimi sunt et omnem fere salutis spem praecidunt, ita cognitu difficillimi, ad loca remota symptomata cientes, localibus aut nullis aut obscuris tantum se prodentes signis. Nec frustraneam tamen huic morborum ordini recentiores navarunt operam, ab anatomia pathologica imprimis auxilium petentes, et singulorum symptomata peculiaria indagantes; quid quod multiplicibus experimentis vel in

uno alterove casu opem ferre contigit.

De inflammatione medullae spinalis ab Copeland Anglo egregie, de carie columnae vertebralis, cuius symptomata et sequelae aliunde plerumque derivabantur, a celeberrimo quodam academiae nostrae professore dissertum est, ita ut, non alia praeter ea me cogitare, peritos, vix sit, cur moneam. Imprimis vero morbus, quem a veteribus recepto nomine spinam befidam nuncupamus, novis luminibus illustratus, recentiorum studia provocavit; si quidem eius ortus sagaciter ab illustri physiologo ad communem fere omnium deformationum congenitarum legem revocatus et therapia per reformidatum veteribus operationis remedium ab Anglis feliciter instituta est.

Quare, cum mos sanctissimus et antiquissimus pertractandi in dissertatiuncula academica thematis cuiusdam medici officium mihi imponat, desperans, ad doctrinae medicae incrementum me aliquid posse conferre, hocce mihi in delectationem propriam magis quam in aliorum utilitatem opusculi academici argumentum sumsi, imprimis, cum nonnulla, quae in museo nostro anatomico exstant memorabilia, exempla recensere ex humanitate illustris Rudolphi mihi licuerit.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40152017_0086

Caput I.

Descriptio morbi.

§. 1.

Nec spinae befidae nec hydrorhachitidis nomen, quod recentiores quidam in illius loco posuerunt, satis aptum videtur, si quidem utrumque alterutram tantum ex duabus conditionibus ad morbi praesentiam necessariis indicat. Constat enim morbus ex duplici affectione, altera ossium columnam vertebralem formantium, quorum status adest abnormis, altera serosa intra cavum columnae eiusdem collectione. Comparet vero in infante vivente tanquam tumor mediam dorsi, saepissime infimam, partem occupans, diversissimae magnitudinis, quae plerumque in decursu vi-

tae augetur, fluctuationem distinctam exhibens. Repositionem humores contenti nec tamen plerumque sine gravissimis symptomatibus, partialem saltem, admittunt: dislocari quidem nonnunquam valet tumor, si pedunculatam quasi formam exhibet, ita tamen, ut punctum fixum, quo adnexus est columnae vertebrali, facile cognoscas.

In prima vitae aetate pelluciditas nonnulla solet adesse, quae postea, si pressione occalluerunt involucra, disparet. Repetenda est haec pelluciditas ab integumentis communibus plerumque deficientibus aut quam maxime attenuatis, cuius exemplum insigne nobis in museo nostro anatomico in promptu est.

Comitem denique quam saepissime alium morbum habet ille, de quo hic sermo est, hydrocephalum, mechanico modo plerumque illi connexum, ita, ut emissis ex tumore spinae bifidae aquis, capitis integumentorum extensio imminuatur, compresso e contrario illo, augeatur, insequentibus cerebri compressi phaenomenis.

De abnormi partium internarum, medullae spinalis nempe et nervorum inde proficiscentium, ratione infra disseremus, cum ad medici diagnosin

ea non pertineant, quae cultro anatomico tantum pratefiunt.

§. 2.

Symptomata labis universalis inde exortae secundum sedem differunt et ad eas imprimis partes comparent, quarum nervi ex affecto medullae spinalis loco originem trahunt.

Inde, cum in lumbali huius parte plerumque sedem sibi eligat malum, communes sequuntur fere huius regionis affectiones: relaxatio sphincterum, paralysis extremitatum inferiorum magis minusve completa, harum emaciatio, ulcerationes, gangraena. Quousque tandem illae progrediantur, nisi in tenera iam aetate obruatur quasi malo natura, docet insigne exemplum, quod Treu attulit: *) Puella spina bifida lumbali laborans tertio aetatis anno ichorosis crurum ulcerationibus vexata est, quibus aegre quidem sanatis pedibus uti incepit, sic ut tumore vel aliquanto imminuto salutares illos ad derivationem conatus fuisse credideris. Sed mox in eandem relapsi sunt artus inferiores

*) Nova acta naturae curiosorum, Tom II.

debilitatem, ita ut tandem per plurium annorum spatium lecto affixa esset misera. Prodiere in locis diversis vesicae, quae ruptae lympham effuderunt, et in malignă abibant ulcera, omnem medelam diu eludentia. Tandem et sensus deficere incepit, sic ut inscia aegrota fracturam femoris sibi contraheret, lentissimo passu morti appropinquans. Quae symptomata, annorum intervallis diremta, si ad unam revocaveris formam, gangraenae habebis imaginem.

§. 3.

Nec tamen semper irreparabili modo ad exitium properat aeger, quod docet casus insequens a Cl. Campero observatus: *) Puer cum parvo quidem sed omnibus verae hydrorhachitidis signis coniuncto tumore natus, ad duodecimum usque annum bene se habuit, nisi quod crura ceterum bene valentia iusto essent tenuiora. Hoc tempore chirurgus sperans, localem morbum locali sublatum iri remedio, aperuit tumorem, qui ad mag-

*) Memoires de la societé royale de Médecine. 1784-85. de hydropum varia indole.

nitudinem lagenae mensuram continentis auctus mole vexabat aegrotum. Effluxit aqua copiosa et per aliquot septimanas in tantam debilitatem incidit aeger, ut vita periclitaretur. Mox nova humorum collectione impletur saccus, redit prospera valetudo et de repetenda punctione non amplius cogitatur. Anno aetatis vigesimo, cum gravi morbo decumberet ille, gangraenuit, ut videbatur, compressione continua tumoris superficies, et rupturam haec minata est: repente vero disparent contenta, collapsaque involucra in deformem cicatricem concrescunt. Aegrotus intercurrente illo morbo sanatus malo congenito ab illo inde tempore vacavit. Dolendum vero est, non fusius indicasse clarissimum auctorem, num ad organa imprimis excretoria secretio vicaria comparuerit, num cataplasmatibus adhibitis per tenuem integumentorum fissuram, quin aegrotus vel adstantes animadverterint, sensim sensimque evacuatus sit tumor; quod, si noctu contigit, facile pro repentina absorptione poterat imponere. Nec minus notatu fuisset dignum, utrum distincta cum columnae vertebralis cavo communicatio, ex facili repositione cognoscenda, usque ad id tempus remanserit tumori: nam si illa forsan iam fuerat obliterata, facile in-

telligis, quomodo sine damno potuerit, si nostra valet coniectura, evacuari humor.

Caput II.

Disquisitio anatomica.

§. 4.

Transeamus ad rationes anatomicas morbi nuncupati describendas, in quarum expositione prae ceteris Cl. Meckel in libro suo (Handbuch der pathol. Anatomie) operam felicissimam collocavit. Statuit nempe tres species morbi gradu differentes.

§. 5.

In hārum prima ita peccat structura vertebrarum, ut duas partes perfecte a sacco illo hydropico diremtas ostendat et arcuum ne vestigia quidem adsint. Periculosissima haec morbi forma est, siquidem nisum formandi in primis iam evolutionis foetalis incunabulis a norma aberrasse indicat; eam ob causam raro videtur observari, quia iam

ante partum plerumque morti dat infantem: tamen Budgen *) refert casum virginis octodecim annorum, in qua per fissuarm praeternaturalem corporum vertebrarum tumor hydrorhachitidis in abdomen descendit.

§. 6.

In secundo, qui alteram speciem sistit, gradu, corpora quidem vertebrarum normali gaudent forma, arcus vero deficiunt, rudimentis tantum aliquibus exstantibus, quae soepe in parietem osseum quasi coalita observata sunt, ita ut muniendae et circumdandae medullae spinalis officio plane defuerint. Nec tamen omnino levior priori morbus hicce est habendus: medulla enim spinalis laesionibus externis vel magis quam in praecedente obnoxia fieri potest. Sinistram tantum arcus partem defuisse, Rosenmüller *) singulo in casu observavit.

§. 7.

Tertius denique, qui in viventibus frequentissime occurrit, gradus tumorem hydropicum ex-

*) Philosophical transactions Nr. 410.
**) de sing. et nat. oss. h. c. variet. Lips. 1804.

hibet, ex parvo quodam interstitio vel hiatu arcuum vertebrarum prodeuntem, ita ut pedunculatam acquirat formam. Ac quidem plerumque processus spinosi defectus pro causa agnoscitur, quare hunc tactu explorare ad diagnosin gravissimum est. Talis hydrorhachis commodum saepe et salutare sistit receptaculum humorum, qui alias, angustis parietum osseorum finibus inclusi, pressione gravissima in centrali vitae organo cient symptomata et lenta vel cita paralysi et tabe plectunt affectos. — Non inepta nobis videtur opinio, talem tumorem, simulac per evolutionis physicae progressum exstinctus est hydropis fons, ab organo materno separari posse, ita ut humoribus in sacci partem inferiorem delabentibus, vacuum aquis huius collum oblitescat. Jam infra exponemus sententiam nostram, operationem a recentioribus feliciter adhibitam hac via, quam et natura sponte inire potest, salutarem fieri.

§. 8.

Non praetermittenda est in mali descriptione quaestio, quam Meckelius, sedulo collatis omnium auctorum testimoniis, solvisse videtur: utrum integumentorum communium involucro semper ca-

reat tumor nec ne? Affirmant hoc insignes autores, ut unum ex omnibus nominem, Camperus; *) obstant vero nonnulla Henry **) aliorumque observationes.

Ceterum in singulo casu non tam facile cutis externae praesentiam cognosces; plerumque enim ad pelluciditatem in viventi, saltem aut recenti cadavere attenuata et tumoris membranae intimae adnexa est.

Illum vero totalem integumentorum defectum, quem, nisi omnem gravissimis auctoribus fidem negamus, adfuisse credendum est, num Meckelius ex priore vitae foetalis periodo tanquam statum normalem ultra periodum suam superstitem derivabit?

§. 9.

Superest, de sede mali disserere, quam scriptores recentissimi, v. c. Haase, ***) eorum obliti, quae physiologia iam dudum de membranarum differentiis, quoad structuram et functionem,

*) l. c.

**) Journal de Médec. Tom. 12.

***) Chron. Krankheiten B. 3.

statuit, minus accurate in cavo durae meningis esse contenderunt. Nam, si clarissimorum anatomorum, inprimis Bichatii disquisitionibus fidem habens, easdem, quibus encephalon obtectum est, tunicas medullae spinali tribuis: fibrosam nempe periostei magis munere fungentem, serosam, quae ex communi harum membranarum lege clauso sacco circumdat organon, et vascularem, quae in telam ipsam organi init, cavo arachnoideae medullaris aquas has contineri, statuendum erit.

Suadet hoc communicatio, quae plerumque inter hydrocephalum et hydrorhachitidem observatur, et quae vix semper ex Acrelii *) opinione a ventriculo quarto derivanda est, cum canali abnormi ipsius medullae communicante: suadet hoc natura membranae arachnoideae, quam, licet a ceteris membranis, imprimis dura meninge spinalis medullae, cultro dirimere non magis contingat, quam a dura matre in basi cranii, sub forma sacci clausi existere et exhalationi praeesse, nemo infitias ibit, quem Bichatii pro hac opinione argumenta allata non fugiunt.

---

*) Schwed. Abhandlung B. 10.

Exstant vero rariores sane casus, in quibus extra cavitatem illam aquae collectae fuerunt, cuius abnormitatis vel in aliis cavitatibus analoga observantur: describitur enim hydrocephalicus status similis et hydrops peritonaei, quo abnormis secretio in parte exteriore membranae secernentis locum sibi elegerat. Quomodo vero fit, ut in tali casu non diffundantur aquae per telam cellulosam, nisi formata sit tunica nova?

§. 10.

Varius est medullae spinalis habitus in illa parte, qua vertebrae dehiscunt: interdum enim ne vestigia quidem eius adsunt, eiusque locum materia seroso — lymphatica implet, interdum tenuior, mollior, hydatidibus obsita est inventa. Rarissime alio in loco, quam in affecto, a structura normali medullam spinalem abberrasse, auctores tradidere. Camperus recte observasse nobis videtur, medullam spinalem corruptionem saepius tantum mentiri, cum nullo fieri posset modo, ut integumentis humore contento in ingentem tumorem elatis, nervorum origines a se invicem non diducantur. Specie tunc a medulla spinali segregati interno tantum involucro adhaerere vi-

dentur; quamvis re vera a se invicem solummodo remoti in tumoris circuitu decurrant, donec eorum ramificationes in foraminibus intervertebralibus sibi denuo iungantur.

Caput III.

Aetiologia.

§. 11.

Genesin morbi eruere, cuius initia ex vitae foetalis incunabulis reconditissimis repetenda sunt, vix ullus est, qui non desperaverit. Quare merito omissis illis, quae de collectione humoris nervei aliisque hypotheticis causis hic et illic fabulati sunt, ad perpendendam illustrissimi inter recentiores anatomos opinionem nos convertimus, quae ex hypothesi, omnes fere deformationes congenitas ad unam legem revocante, prodiit. Ac quidem pulcherrima illa, quam recentiores physiologi in medium protulerunt, observatio: per easdem gradationes, quae singulos regni animalis sistunt

ordines, organismum humanum in statu embryonis ad miram, qua gaudet, perfectionem physicam pervenire, licet hic et illic haesitet, ab iis, quorum interest, totius naturae organicae leges generaliores indagare, vix unquam poterit reiici. In quo decursu ad summum, quod attingere debet, fastigium si impeditur nisus formativus embryoni insitus, aliam quidem ad monstrosas saepe formationes init viam, ita tamen, ut illius scalae, ut ita dicam, gradus, unde incepit aberratio, facile nobis sit cognoscendus.

Columnae vertebralis vero illa deformitas, quae canalem exhibet postrorsum apertum, deficientibus vertebrarum arcubus, normalis est formationis typus in piscium ordine, quem chondropterygiorum nomine insignimus, et in mammalium ordinibus quibusdam, qui inferioribus formationibus proximi sunt, denuo occurrit. Consentiunt porro optimorum auctorum testimonia, priori foetus aetate canalem medullae spinalis postrorsum esse apertum: et ex incisionibus, quas corpora vertebrarum in superficie superiore ostendunt, nec non ex ossis sacri formatione bifida, quae vel serius persistit, iure summo concludere videtur illust. Mecelius: longitudinalem in tota

columna vertebrali fissuram in quadam priori evolutionis periodo adesse. In hoc itaque gradu impedimento alicui occurrere videtur nisus formaticus, ita ut a via normali deflexus in errorem quasi incidat. Inde etiam elucet, cur tam saepe haec deformitas cum aliis complicata incedat, quarum manifesta est ex evolutione impedita origo, v. c. cum omphalocele, utero bicorni, vesica urinaria in partes duas divisa etc.

§. 12.

Unde oriatur illa vis deprimens, difficile sane est indicatu, cum ne de modo quidem constet, quo foetus irritamentis externis obnoxius fit; de violentia mechanica enim cogitare, plerisque in casibus ineptum est. Dispositio scrofulosa et rhachitica, quae aut tenui matris victu aut vita nimis laboriosa aut psychicis affectionibus nimis obnoxia germini sinu incluso potest impertiri, sane soepius accusanda est: qui nobis obiicere velit, non omnino omnibus vitae foetalis aberrationibus hanc causam posse supponi, recordetur, in tota organica natura effectus magis quam causas a nobis cognosci, et vel adulti hominis infirmitates raro affatim evidentibus causis derivari posse, quae,

saepissime in plurimos pariter agentes, nonnisi singulos in morbum coniiciunt.

Sufficiat itaque cognovisse abnormen illam aperturam, ex qua tumor hydrorhachiticus prodit, normalem esse formationem ultra periodum suam superstitem; facile tunc constabit, falso eam a veteribus pro mechanico effectu serosae collectionis esse habitam. Videtur e contrario hanc sistere vicariam secretionem impeditae ossium formationis vel potius continuationem illius liquidorum procreationis, quae in priori foetus aetate praepollet solidorum compositioni.

Omnino quidem nexum causalem necessarium his duobus symptomatibus, in quae quasi dispescitur morbus, non intercedere, docent satis frequentes casus, in quibus unum alterumve sine altero se offerebat. Ita sine omni hydrope tunicarum medullae vaginalium occurrunt singuli gradus vitiosae illius vertebrarum conformationis: hydrocephalicae e contrario aquae soepissime, quod et plerumque in adultiorum morbo fit, in canalem medullae spinalis vel inter tunicas eius descendunt, quin parietes illam includentes ullo laborent vitio.

§. 13.

Non ab re erit denique, inquirere, unde fiat,

ut lumbalem plerumque regionem sibi eligat malum, circa quod argumentum ingeniosam potius quam veram opinionem protulisse nobis videtur ill. Meckelius. Sed antequam sagacem huius impugnamus sententiam, alium audiamus Cl. scriptorem, Sprengelium, qui minus audacter a problematicis rationibus explicationem phaenomeni repetiisse videtur *). Accusat hic laxiorem durae meningis in hac regione structuram, minus arctam cohaesionem cum apparatu ligamentoso interno vertebrarum, defectum ligamenti denticulati, cartilaginum intervertebralium mollitiem et laxitatem, quae eas aptas reddat ad humorem, maiori copia secretum, excipiendum, processuum spinosorum maiora intervalla, et processuum articularium cartilagines crassiores: ex erronea vero haec omnia derivantur opinione, inter duram meningem et canalem osseum stagnare aquas; qua repudiata non firmissimam hypothesin statuere videtur Meckelius, qui polaricam subesse arguit tendentiam ad formandum in altera medullae spinalis extremitate encephalon quasi secundarium. Nititur enim te-

*) Büsser de hydrorhach.

nuissimo argumento, quod saepius hydatidosam structuram vel gelatinosum contentum sacci illi offerant, et quod generatim magna sit in vitae foetalis initio inter utramque medullae finem similitudo. Haec vero si exterius ob formas omnino minus distinctas adesse videtur, tamen contrariam ab initio formationis legem utraque sequitur, siquidem pars superior massam concentricam, inferior, ut ita dicam, polum centrifugum (Zerstreuungs-Pol) sistens, in infinitum dividi et ramos suos per totum corpus spargere tendit. Nec quidquam momenti positum videtur in laudata illa observatione contenti gelatinosi, videtur potius ad simplicissimos casus hyropis hydatidosi referenda, qui in quam plurimis occurrunt locis.

Nobis quidem ad illustrandam illam, quam experientia suppeditat, observationem nihil superesse videtur, quam ut respiciatur analogia hydroceles congenitae, quae etiam tumorem sistit serosum, extremitatem infimam cavitatis alius serosae occupantem, cuius quoque longe frequentissimi casus, quibus infima pars laborat, rariores, quin tamen omnino desint, superioris partis (canalis vaginalis funiculi) affectiones sine tunicae vaginalis testis morbo contemporaneo occurrunt. Mechanicis

rationibus nihil tribuendum erit, cum plerumque inversum, capite infra spectante, situm foetus occupet.

Caput IV.

Prognosis

---

§. 14.

Ex tanta gravissimi organi laesione non laevia oriri posse incommoda, sponte elucet, ita, ut rariores illi casus, in quibus localem magis morbum sistit ixiguum tantum toti corpori damnum inferentem multo magis quam periculosissimus quisque exitus, mirum nobis exhibeant exemplum. Docet tamen observatio, vel altiores mali gradus non citum attulisse detrimentum. *) Multo frequentius iam ante partum mors ex intimae illa

---

*) Camp. l. c.
Bernstein lex. chir. Spina befida.

vitae laesione oritur nec minus raro in ipso partu ob comitantem plerumque hydrocephalum et tumorem ipsum solite difficiliori exstinguuntur: ubi pressio per plures horas tumorem exercet, gravissimum certe ad mortem momentum est. Saepe infirmior talibus infantibus insita vita nimis intensiva actione irritamentorum externorum obruitur et imparem vitae magis spontaneae se ostendit. Qui vero ex hoc tempore feliciter evasere infantes non raro miseram usque ad pubertatem trahunt vitam, ubi aut felici sorte liberantur malo aut tandem opprimuntur. Duplex vero his minatur periculum; alterum ab affectionis universalis progressu ita ut debilitas in paralysin abeat, aliis vel symptomatibus supra enumeratis comitatam, alterum, si tumor ipse ad exitum, tumoribus omnibus imminentem, ulcerationis scilicet atque gangraenae properet. Ex quibus non solum incommodum locale sed cita etiam mors oritur: subita enim aquarum evacuatio cum vel alias v. gr. in ascite gravissima et vel lethalia moveat symptomata, quomodo posset organon tenerrimum tali mutationi par esse!

Accedit sane soepissime nova iniuria, si chirurgi manibus aquarum emissio instituitur, laesio

scilicet nervorum spinalium, qui in interiori tumoris superficie decurrunt, qui quidem spontanea quoque ruptura laedi possunt.

§. 15.

Vix itaque faustus sperari potest exitus, nisi coniunctis, quod rarissime evenit, hisce conditionibus:

Ac:

primo quidem requiritur, ut tertius *) infimus tantum gradus adsit, sine medullae ipsius alienatione et cum tali columnae vertebralis conformatione ut externum potius tumorem sistat spinâ bifida tenui tantum canali cum cavo columnae communicantem:

secundo loco vero, ut redierit organismo normalis formandi nisus, qui sensim sensimque fontem perversae illius secretionis exstinguat, resorptionem incitet, ita ut hydrocephalus fortasse simultaneus sponte dispareat, nec ad evolutiones naturales, quae tantam ad morbos delendos vim exserunt, deficiant vires:

tertio denique, ut cauta adhibeatur cura, iniurias magis arcens quam audaci consilio inferens,

---

*) v. §. 7.

et prudenter observetur tempus, quo malum, ad mere locale vitium reductum, radicitus evelli possit.

Caput V.

Therapia.

§. 16.

Iam itaque de cura disseramus instiduenda; ac primum quidem de auxiliis illis, quae tantum ut levamen afferamus vel saltem ad leviora radicalis sanationis experimenta adhiberi possint: quae circa operationem instituendam proposita sunt, postea recensebuntur.

Ac primo quidem ad tensionem tollendam arcendasque iniurias externas commodum requiritur suspensorium, quod, quantum perfert sine gravamine aegrotus, comprimat tumorem. Quo maior quidem hic, et quo magis patet columnae vertebralis cavum, eo maiore cum diligentia se-

cundum doctrinae chirurgicae de fasciiis applicandis praecepta indicatio haec erit explenda.

Secundo loco de remediis internis et in universum de tali cura nobis est cogitandum, qua vires aegroti conservemus immo ad impugnandum gravissimum morbum prudenter incitemus. Perperam sane contemnuntur in hoc statu remedia interna quamdiu in hydrocephalo chronico laudantur: est enim idem plane status partium, inter quas intima analogia intercedit, eadem in agendi modo obscuritas, eadem organi laborantis propensio, ut gravioribus si oppugnemus armis, eius functionem opprimamus potius quam corrigamus. Nec hic tamen omnino desperandum: Digitalis, Calomelas, vesicatoria magna, fomentationes et vapores aceti scillitici, et quae in illo laudantur caetera remedia, nisi omnibus experimentis medicis contraria est debilitas aegroti, laudes forsan sibi in uno alterove casu conciliabunt.

§. 17.

Sed cum ob tumorem comparentem ad chirurgi forum delegatus sit morbus, illi non omiserunt a ferro acuto auxilium petere. Mox quidem iteratis vicibus edocti, funestissimis sequelis ulcisci

naturam partis nobilissimae iniuriam illatam, reformidare plerique incepere operationem vix non semper exitiosam, dum alii spem alentes exemplis paucissimis, in quibus lethalem saltem averterant exitum, varias ex serie tumorum curandorum adhiberent methodos: ita Dessault setaceum, Bell ligaturam, alii punctionem, cum successiva aquarum evacuatione, proposuerunt. Sed quamcunque inierant viam, spe decepti, iam omnes fere in vitando operationis consilio consensere, cum subito ex audacibus chirurgorum Anglorum experimentis felicior oriretur eventus.

§. 18.

Et primus quidem Astley Cooper duplici ratione, quam iam Abernethy in libro suo (An account of Spina befida with remarks on a method of treatment London 1810) indicasse, multifariis rationibus permoti, credimus, nam librum ipsum in promtu nobis non fuisse, valdopere dolemus, atrocissimo huic morbo succurri posse ostendit. *) Transtulit enim curationem pallia-

*) Medico-chirurgical Transactions by the society of London. London 1813. Vol. II.

tivam herniarum in spinam bifidam; et initio quidem simplici fascia abdomini infantis vix quinque hebdomadas nati circumvoluta tumorem intra canalis spinalis limites, quantum hoc apparatu fieri poterat, continere conatus est. Quae cum feliciter cessissent, nec ulla medullae spinalis vel cerebri compressi symptomata apparuissent, nisi quod mater, puerum levibus convulsionibus interdum affici, retulerit, emplastri parisini particula modice excavata ad tumorem arctius comprimendum usus est, fascia nequaquam neglecta. Convulsiones modo memoratae ad quintum usque aetatis mensem perseverarunt, cetero corporis statu illaeso; sed cum ab hoc inde tempore iam non amplius observarentur, capitulum, quale in ammate ad hernias umbilicales coërcendas adhibemus, tumori impositum est. Aetatis mense decimo quinto puer pedum et linguae usu gaudere incepit, et anno vitae quarto morbus gravissimus organi nobilissimi nec corporis nec animi incremento offecisse visus est. Canalis medullae spinalis hoc tempore minime occlusus fuit, imo potius, cum ammate remoto tumor magnitudinis parvi fructus citri aurantii media in parte dissecti propelleretur, capitulum statim de-

nus applicare coactus est Cooper, quo facto levi stupore puer affici videbatur.

§. 19,

Curationi huic palliativae alteram opposuit Cooper medelam, cuius feliciter absolutae exemplum nobiscum communicavit: in puero bimestri, in quo ob nimium tumoris ambitum compressio sola in usum vocari haut poterat, punctione acus ope instituta, tertio vel quarto quoque die unciae duae ad quatuor, humoris initio serosi limpidi deinde vero turbidi emissae sunt. Charta densata, quam, ut punctionis effectus compressione aliquantulum adiuvaretur, fascia lanea in tumore fixerat, ob inflammationem et excoriationem tumoris die trigesimo sexto curationis exortam, removenda simulque febris Calomelane et Scammoneo impugnanda erat. Mox vero apparuit, inflammationem salutare fuisse conamen naturae medicatricis ad morbum funestissimum tollendum; nam ab hoc inde tempore tumor insigniter desidere incepit, tunica aquam continens crassior rugosa facta est, humor in punctione profluens magnam lymphae plasticae copiam continuit, et ita denique factum est, ut sub mensis curationis quarti finem

nonnisi cutis flaccida cicatricibus ex punctione proficiscentibus obsita in loco affecto superesset, media vero eius pars, quae cum canali spinali cohaesit, umbilici perfecte concreti speciem prae se ferret.

Lethalem quidem exitum habuere punctiones quas Cooper in puella et anatomus apud Vratislavienses illustrissimus *) in infante instituere, verum in utriusque cadaveris sectione tumoris collum inflammatione exsudatoria omnino obliteratum repertum est.

Nec desunt exempla punctionis ab aliis medicis contemporaneis feliciter peractae; tale exhibitum invenimus a Cel. Sherwood in libro, qui inscriptus est Repository 1812 vol I, fasc I, et nosmet ipsi recordamur, in hac alma litterarum sede punctionem ab Exp. Doctore Hecker magno cum levamento fuisse institutam.

§. 20.

Manifestum est, ideam herniarum curationis in illam spinae bifidae translatam fuisse, quare

*) Otto seltene Beobachtungen zur Anatomie Physiologie und Pathologie gehörig. 1. Heft, Breslau 1816.

fusius de ea disserere supervacaneum existimamus. Illud tamen monendum nobis videtur, cuidam auctori Cooperi sententiam: malum punctione radicitus tolli, eam ob causam displicuisse, quod canalis spinalis medullae cicatrice cutanea tantum claudi os vero deficiens minime restitui posse. Ab eodem auctore propositum est, compressione modica ad latera cicatricis adhibita arcus ossei fragmenta dehiscentia pedetentim sibi invicem magis appropinquare ac intimo iungere nexu, quod in palato fisso soepius contegisse experientia edocti scimus. Quum vero hocce propositum non tantum summis premi difficultatibus nobis videatur, imo potius plane ineptum esse, sufficiat commendasse, ut lamina metallica super cicatrice congrue deligata pars fragilis ab iniuriis externis defendatur.

§. 21.

Priusquam vero huic dissertatiunculae finem imponimus, liceat paucis indicare verbis momenta, quae alterutram vel utramque medendi methodum in paragraphis antecedentibus propositam excludant. —

Spes superest nulla curationis si simul spina bifida cum hydocoocephalo coniuncta incedit,

extremitates inferiores resolutae sunt, alvi et urinae secessus involuntarii apparuere et primus morbi gradus adest. Curationi porro ex Cooperi sententia locus non est. ubi in partu ipso vel mox post partum tumor ruptus liquorem contentum effudit; nam etsi laticis serosi profluvium sistere contingat, semper tamen hydrocephalo insequenti aeger misere periturus est.

Quodsi eorum, candide lector, recordari volueris, quae iam supra in capite de prognosi exposuimus, facile intelliges, hoc in casu de aegroti vita nondum plane desperandum esse, nisi forte lethalia symptomata urgeant. Si sponte conglutinantur vulneris orae in tumore, punctionem instituendam suademus, quotiescuuque magna humoris copia fuerit collecta: temere vero actum putamus obturare foramen, per quod natura ipsa fluidum nimis coacervatum evacuare studuit.

Punctione morbo mederi frustra tentabimus, ubicunque arcus vertebrarum late hiant et tumoris basis nimis ampla est; ibi potissimum compressioni fidendum erit; ubi vero tumor nimis increverit, punctione opus erit, priusquam compressio adhiberi potest.

Denique iterum iterumque commendamus, summam in hocce morbo cautionem, ne medicorum temeritate magis quam sorte iniquà periisse videatur miser aegrotus.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego Antonius Franciscus Albertus Foerster natus sum die nono mensis Junii anni millesimi septingentesimi nonagesimi quinti Landecciae, comitatus Glacensis oppido, patre Antonio Georgio Foerster, ad thermas Landeccenses medico practico, matre e gente Thaleriana.

Litterarum primitias in Gymnasio Glacensi accepi, quo anno millesimo octingentesimo decimo tertio relicto, chirurgi militaris in provinciae nosodochio munus suscepi. Pace recuperata, anno millesimo octingentesimo decimo quarto litterarum studia recepi et illo anno vergente cum maturitatis testimonio universitatem adii viadrinam Vratislaviensem.

Hic a Cel. Link, fasces academicas t. t. tenente, d. XVIII M. Octobris civibus adscriptus, apud Ill. Berends, ordinis medicorum decanum, medicinae studiosum me professus sum.

Ab illo inde tempore praeceptores mihi fuere maxime colendi: Cel. Link et Cl. Heyde in re herbaria, Cel. Otto et Cl. Hagen in anatomia humana tum theoretica tum practica nec minus Cel. Otto in anatomia comparata: Cel. Link et Cel. Fischer in Chemia, Cel. Steffens in physice, Cel. Bartels in physiologia et pathologia, Cel. Remer in materia medica.

Ineunte vere anni millesimi octingentessimi decimi septimi Berolinum transmigravi, ubi iterum a Cel. Link, t. t. rectore Magnifico, d. XXI. M. Aprilis inter cives academicos receptus et ab Ill. Hufeland medicinae studiosis adscriptus sum. In hac alma universitate hisce fere interfui lectionibus: Ill. Horn de pathologia speciali, de therapia deque morbis syphiliticis, Ill. Graefe de Chirurgia, Ill. de Siebold de arte obstetricia: nec defui tandem exercitationibus clinicis Ill. Ill. virorum: Hufeland, Berends, Graefe, Horn, de Siebold.

Tentamine et examine rigoroso nunc rite absolutis, spero fore ut dissertatiuncula hacce publice defensa summos in Medicina et Chirurgia honores adipiscar.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Inflammationem et congestionem non solum gradu differre.

II.

Diarrhoeam non semper motum peristalticum auctum testari.

III.

Suppurationem non semper praecedere inflammationem.